

secundum esse suum sicut deordinati a fine; contineret enim quod aliquid esset simul ordinatum et inordinatum; unde huiusmodi nunquam subjacent divino praecepto. Et propter hoc dicitur, quod contra praecepta primae tabulae, quae ordinant immediate in Deum, Deus dispensare non potest; sed contra praecepta secundae tabulae, quae ordinant immediate ad proximum, Deus potest dispensare; non autem homines in his dispensare possunt.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis Deus non vellet voluntate consequente, quod Abraham filium occideret, voluit tamen voluntate antecedente, quod voluntas Abrahae in hoc ferretur, secundum quod erat iam ordinatum; et talem voluntatem praeceptum expressit, et ideo non fuit fictio.

Ad secundum dicendum, quod ipsa occisio innocentis prout substat deordinationi a fine, quae adventi sibi post speciem completam ab objecto proximo, est contra legem naturae, et non potest bene fieri; sed remota tali inordinatione, et posito alio ordine circa objectum et actum, est conveniens legi naturae, quae dicitur omne illud esse faciendum quod est ordinatum et praeceptum ab eo (1).

Et per hoc patet solutio ad tertium.

Ad quartum dicendum, quod non est similis ratio in omnibus, ut ex praedictis patet, in corp. art.

(1) Forte a Deo.

DISTINCTIO XLVIII.

Quod aliquando homo bona voluntate aliud vult quam Deus, et aliquando mala id quod Deus bona voluntate vult.

Sciendum quoque est, quod aliquando mala est voluntas hominis idem volentis quod Deus vult fieri; et aliquando bona est voluntas hominis, aliud volentis quam Deus. Ut enim bona sit hominis voluntas, oportet attendere quid congruat ei velle, et quo fine. Tantum enim interest inter voluntatem Dei et voluntatem hominis, ut in quibusdam aliud congruat Deo velle, aliud homini. Unde Augustinus in Ench. (cap. 101): « Aliquando bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult, bona multo amplius multoque certius voluntate: nam « illius mala voluntas esse nunquam potest: tamquam si bonus « filius patrem velit vivere, quam Deus bona voluntate vult « mori. Et rursus fieri potest ut hoc velit homo voluntate « mala, quod Deus vult bona; velut si malus filius velit mori « patrem, velit etiam hoc Deus; nempe ille vult quod non « vult Deus, iste vero id vult quod vult et Deus: et tamen « bonae Dei voluntati pietas illius potius consonat, quamvis « aliud volentis, quam huius idem volentis impietas. » Multum enim interest, quid velle homini, quid Deo congruat, et ad quem finem suam quisque referat voluntatem, ut approbetur vel improbetur. Potest enim velle bonum quod non congruat ei velle; et potest velle bonum quod congruit, sed non referri ad finem rectum: et ideo non est bona voluntas.

Quod bona Dei voluntas mala hominum voluntate impletur, ut in passione Christi contigit, ubi quoddam factum est quod Deus bona et Iudaei mala voluntate voluerunt, voluerunt tamen et aliquid quod Deus non voluit.

Illud quoque non est praetermittendum, quod aliquando Dei voluntas bona per malam hominis voluntatem impletur, ut in crucifixione Christi factum est; quem Deus bona voluntate voluit Iudaei vero impia voluntate eum crucifixerunt. Et volebant Iudaei mala voluntate quoddam quod Deus bona voluntate volebat, scilicet ut Christus pateretur et moreretur; sed volebant et aliquid aliud quod Deus volebat, scilicet occidere Christum, quod fuit mala actio et peccatum. Actum quippe Iudaeorum non voluit Deus, passionem vero Christi voluit, sicut et in ipso Psal. (158, 2), Christus ad

Expositio textus.

Quos iuste praedestinavit ad poenam. Contra, supra dictum est, dist. 40, quaest. 1, art. 2, quod praedestinatio est tantum de bonis salutaribus, et non de peccatis. — Ad quod dicendum, quod quando aliquid absolute dicitur praedestinari, intelligitur directio in finem, qui est salus aeterna. Sed si addatur aliquid, tunc potest dirigi in quodecumque, et secundum quid et minus proprie praedestinari in illud.

Sed non praeter ejus permissionem, quae ipse non est. Sed contra, permissio divina est ejus operatio. Sed divina operatio est ejus essentia. Ergo etc. — Et dicendum, quod permissio sumitur hic non pro operatione divina, sed pro effectu ejus, per modum quo etiam dicitur creatio, passio.

Et (1) in Evangelio quibusdam curatis, quibus praecepit ne cui dicerent, Matth. 12. Et sciendum, quod quamvis non vellet hoc fieri quod praecipiebat voluntate divina consequente, voluit tamen divina voluntate antecedente homines in hoc tendere, ut gloriam mundanam non quaerent, exemplo ipsius hominis Christi, qui voluntate humana suam mundanam gloriam non quaerebat, sed gloriam Dei; quam voluntatem praeceptum expressit.

(1) Al. Sed in Evangelio.

Patrem ait: « Tu cognovisti sessionem meam. » Id est, voluisti et approbasti passionem meam, tibi enim placuit. Voluit itaque tota Trinitas ut Christus pateretur; nec tamen voluit ut Iudaei occiderent: quia voluit poenam Christi, sed non voluit culpam Iudaeorum; nec tamen noluit; si enim notuisset, nec fuisset.

Oppositio.

Sed ad hoc opponitur sic. Si voluit Deus ut Christus pateretur, voluit utique ut pateretur a Iudaeis, vel non. Si voluit ut non pateretur a Iudaeis, eum passus sit, factum est itaque quod voluit Deus non fieri. Si autem voluit eum pati a Iudaeis, ergo voluit eum occidi a Iudaeis. Voluit itaque ut Iudaei occiderent eum. Ad quod respondentes dicimus, simpliciter concedendum esse, quod Deus voluit Christum pati et mori: quia ejus passio bonum fuit, et causa nostrae salutis. Cum autem dicitur: Volebat eum pati, vel occidi a Iudaeis, hoc distinguendum est. Si enim intelligitur sic: Volebat eum sustinere passionem, sive crucifixionem a Iudaeis illatam; verus est sensus: Si vero intelligitur sic: Volebat ut Iudaei occiderent eum; falsum est. Non enim volebat Deus actionem Iudaeorum quae mala erat; sed volebat passionem bonam: et haec voluntas per malas Iudaeorum voluntates impleta est. Unde Augustinus in Ench. (cap. 101): « Deus « quasdam voluntates suas utique bonus implet per malorum « hominum voluntates malas, sicut per malevolos Iudaeos bona « voluntate Patris Christus pro nobis occisus est. Quod tam « tum bonum fuit, ut Apostolus Petrus, quando id fieri no- « lebat (Matth. 26); Satanas ab ipso qui occisus est, dicitur: « Ecce manifeste habes magnum bonum fuisse quod « Christus occisus est; et hoc bonum quia Petrus volebat, ideo redargutus est.

Utrum placerit visis bonis, quod Christus pateretur et moreretur. Placuit quidem intuitu nostrae redemptionis, sed non ipsius cruciatus.

Ex quo solvitur quaestio qua quaeri solet, utrum vis sanctis placere deberet, quod Christus pateretur vel occideretur. Debat enim eis placere intuitu nostrae redemptionis,

sed non intuitu ipsius cruciatus. Voluerunt ergo ac vehementer cupierunt Christum mori propter liberationem hominis et impietionem divinae voluntatis; sed non voluerunt delectationem ipsius afflictionis. De eodem ergo laetabantur et tristabantur; sed ob aliud gaudebant, et propter aliud dolebant. Volebant ergo Christum mori pro hominis redemptione, et tamen de morte ipsius diversis de causis corda eorum varie movebantur.

Quomodo sentiendam sit de passionibus sanctorum; an velle vel nolle debentur.

Si vero quaeritur utrum eodem modo sentiendam sit de passionibus et martyriis sanctorum; dicimus, aliquam esse differentiam inter passionem capitis et membrorum. Christi namque passio causa est nostrae salutis, quod non est passio aliquis sancti. Nullius enim passione redempti sumus, nisi Christi. Profuerunt quidem non modo eis qui passi sunt, verum etiam aliis fidelibus ipsorum passionis. Verumtamen nostra redemptio non sunt: hoc enim passio illius sola potuit qui Deus est et homo. Illius ergo passionem credentium pie mentes voluerunt et optaverunt fieri, sicut futurum credebant. Passiones vero sanctorum possumus velle et nolle; et utrumque bona voluntate, si rectos nobis proponamus fines. Cui enim placuit Pauli passio eo fine, quia praemium ejus per

hoc actum et paratum cornebat, bonam videtur habuisse voluntatem, quae voluntati ejus congruebat, quae cupiebat dissolvi et esse cum Christo (Philip. 1). Qui autem voluit eum declinare passionem et effugere manus iniquorum, compassione pietatis, et ille habuit bonam voluntatem. Unde Augustinus in Ench. (cap. 101): « Bonae apparebant voluntates priorum (1) « fidelium, qui volebant Apostolum Paulum Hierusalem per- « gere, ne ibi pateretur mala quae Agabus Propeta prae- « dixerat (Act. 21), et tamen hoc illum Deus pati volebat « pro annuntianda fide Christi, exereus martyrem Christi. « Neque ipse bonam voluntatem suam implevit per Christia- « norum voluntates bonas, sed per Iudaeorum malas; et ad « eum potius pertinebant qui volebant quod volebat, quam « illi per quos volentes factum est quod volebat: quia ipsam « mala voluntate fecerunt quod Deus bona voluntate voluit. » Ita et in passione Christi factum est: quod enim Deus voluit, hoc idem Iudaei (2) et diaboli; sed illi mala voluntate, Deus vero bona voluntate, scilicet ut Christus moreretur. Verumtamen illi actum voluerunt quem Deus non voluit.

(1) Al. priorum.
(2) Al. Judas.

Divisio textus.

Determinato de voluntate Dei, hic determinat de conformitate voluntatis nostrae ad voluntatem ejus, et dividitur in partes duas: in prima determinat veritatem; in secunda ex veritate determinat quasdam quaestiones determinat, ibi: *Ex quo solvitur quaestio*. Prima in tres: in prima ostendit quod voluntas mala hominis cum voluntate Dei concurrit in idem volitum, bona voluntate hominis in contrarium tendente; in secunda ostendit quod bona voluntas Dei etiam per malam voluntatem hominis completur, ibi: *Illud quoque non est praetermittendum quod aliquando Dei voluntas bona per malam hominis voluntatem impletur*; in tertia excludit quendam objectionem, ibi: *Sed ad hoc opponitur*.

Ex quo solvitur quaestio. Illic ex determinatis procedit ad solutionem duarum quaestionum: quarum prima est de passione capitis, id est Christi; secunda de passione membrorum ejus, id est martyrum, ibi: *Si vero quaeritur utrum eodem modo sentiendum sit de passione et martyrio sanctorum, dicimus aliquam esse differentiam inter passionem capitis et membrorum*.

QUAESTIO I.

Illic quatuor quaeruntur: 1.^o utrum voluntas hominis divinae voluntati conformari possit; 2.^o in quo attenditur principaliter conformitas; 3.^o utrum ad illam conformitatem omnes teneantur; 4.^o utrum teneantur etiam ad conformitatem quae est in volito.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum voluntas humana divinae voluntati non possit conformari. — (1-2, quaest. 19, art. 9 et 10.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod voluntas humana divinae conformari non possit. Sic enim dicitur Isai. 33, 9: *Sicut exaltantur caeli a terra, ita exaltatae sunt viae meae a visis vestris*.

Sed terra nunquam potest conformari caelo. Ergo nec cogitationes vel voluntates hominum divinae voluntati.

2. Praeterea, eorum quae in infinitum distant, nulla est conformitas: quia conformitas est secundum approximationem aliquam. Sed voluntas Dei in infinitum distat a voluntate hominum: quantum enim distat Deus ab homine, tantum voluntas Dei a voluntate hominis, ut dicit Glossa (1) super illud Psal. 52, 1: *Exultate justi in Domino etc.* Ergo voluntas hominis divinae voluntati non conformatur.

3. Praeterea, conformitas ponit convenientiam duorum in forma una; sicut ipsum nomen ostendit. Sed quaecumque convenient in aliquo uno habent aliquid prius et simplicius se, scilicet illud in quo convenient. Cum igitur divina voluntate nihil sit simplicius et prius, videtur quod sibi nulla voluntas creata conformari possit.

4. Praeterea, nihil est conforme nisi conformi; quia conformitas est relatio aequiparantiae, ponens similem habitudinem in utroque extremorum. Sed non dicimus voluntatem divinam conformem esse voluntati humanae. Ergo nec e converso.

Sed contra, nullum regulatum fit rectum nisi per conformitatem ad regulam. Sed voluntas divina regula est voluntatis humanae, et intellectus suus, intellectus humani. Ergo omnis voluntas reata conformis est voluntati divinae.

Praeterea, cujuslibet obedientis voluntarie voluntas conformatur voluntati praecipientis. Sed multi voluntarie divinis praeceptis obediunt. Ergo multorum voluntas conformatur voluntati divinae.

Solutio. Respondeo dicendum, quod conformitas est convenientia in forma una, et sic idem est quod similitudo quam causat unitas qualitatis, ut in 3 Metaph. (text. 20) dicitur. Unde hoc modo aliquid Deo conformatur quod sibi assimilatur. Contingit autem aliqua dici similia duplitter. Vel ex eo quod participant unam formam, sicut duo albi albedi-

(1) Nihil tale in Glossa quae nunc extat, sed apud Augustinum habetur conc. 1 in primam partem ejus Psal. ad illa verba, *Rectos decet collaudatio*.

nem; et sic omne simile oportet esse compositum ex eo in quo convenit cum alio simili, et ex eo in quo differt ab ipso, cum similitudo non sit nisi differentium, secundum Boetium (in 2 edit. cap. de specie (1)). Unde sic Deo nihil potest esse simile nec conveniens nec conforme, ut frequenter a philosophis dictum invenitur. Vel ex eo quod unum quod participative habet formam, imitatur illud quod essentialiter habet. Sicut si corpus album diceretur simile albedini separatae, vel corpus mixtum igneitate ipsi igni. Et talis similitudo quae ponit compositionem in uno et simplicitatem in alio, potest esse creaturae ad Deum participantis bonitatem vel sapientiam vel aliquid huiusmodi, quorum unumquodque in Deo est essentia eius; et sic voluntas nostra divinae conformatur. Sed haec conformitas voluntatis potest intelligi vel de ipsa potentia voluntatis quae homini est data ad exemplar voluntatis divinae, quae pertinet ad similitudinem, in qua consistit ratio imaginis, et est communis bonis et malis; et de hac conformitate non quaerimus hic. Vel potest intelligi de actu voluntatis, qui etiam voluntas dicitur, et de hac conformitate hic quaerimus: quia in ista conformitate consistit meritum vel etiam demeritum, eo quod homo est causa actus voluntatis sed non potentiae; unde ista conformitas est tantum bonorum.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus loquitur ibi de malis, qui per terram significantur, qui in actu suae voluntatis recedunt a similitudine divina.

Ad secundum dicendum, quod in infinitum distantium non potest esse conformitas per modum aequalitatis vel etiam secundum aliquam convenientiam in aliquo in participando ab utroque, sed per modum illum qui supra dictus est in corp. art.

Et per hoc patet etiam responsio ad tertium, quod procedit secundum primum modum distinctionis assignatae.

Ad quartum dicendum, quod secundum Dionysium (in 9 cap. de div. Nom.), conversio similitudinis non recipitur in causis et causatis in quibus dicitur similitudo per imitationem, sed solum in aequipotentibus in quibus est similitudo per similem participationem ejusdem: non enim dicimus quod homo sit similis suae imagini, sed e converso. Unde non est dicendum quod Deus sit similis vel conformis creaturae, sed quod creatura Deo conformetur imitando ipsum quantum potest.

ARTICULUS II.

Utrum conformitas voluntatum attendatur praecipue secundum volitum. — (1 p., quaest. 19, art. 10.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod conformitas voluntatum praecipue secundum volitum attendatur. Conformitas enim attenditur secun-

(1) Ut ex edit. 2 in Porphy. cap. de specie prius indicatur ad marginem, sed sic tantum Commentarius in lib. Philosophi de interpretatione distinguitur, non autem ejus Expositio in Porphyrium; nec in expositione illa quidquam aliud occurrit, nisi lib. 3, cap. de specie, quod *et similitudo quaedam unitas quantitatis*, etsi adjuncta satis ibid. insinuant hanc similitudinem non nisi inter multa quae invicem differant, reperiri.

dum convenientiam in forma. Sed forma et perfectio voluntatis est ipsum volitum, sicut et scitum est perfectio scientis. Ergo secundum convenientiam in volitio est conformitas voluntatum.

2. Praeterea, actus cognoscuntur et judicantur per objecta, secundum Philosophum (in 2 de Anima, text. 55). Sed objectum voluntatis est volitum. Ergo videtur quod secundum unitatem volitii sit conformitas voluntatum.

3. Si dicas quod objectum voluntatis est bonum et secundum hoc attenditur conformitas: Contra, voluntas non est nisi boni. Si igitur ex convenientia in bono est conformitas voluntatis, videtur quod omnis voluntas, etiam peccati, divinae voluntati conformetur.

4. Praeterea, voluntas occidentium Christum non solum concurrit eum volutate divina in quoddam volitum idem, sed etiam in quoddam bonum, scilicet in passionem Christi, quae magnum bonum fuit. Ergo si ex hoc attenditur ratio conformitatis, videtur quod voluntas Judaeorum divinae conformis fuit.

5. Praeterea, ratio bonitatis est ex fine. Sed contingit aliquem propter bonum finem agentem divinae voluntati non conformari, sicut qui furatur diviti, ut det elemosynas pauperi. Ergo videtur quod etiam nec ex fine conformitas voluntatis attendatur.

6. Si dicas, quod attenditur principaliter in hoc quod homo vult quod Deus vult eum velle: Contra, volitum et velle non sunt idem nisi per accedens, ut quando velle unius est volitum ab alio. Sed ista conformitas est ad volutatem divinam in quantum ipsum nostrum velle est volitum a Deo, qui vult hoc nos velle quod volumus. Ergo per hunc modum non conformatur velle nostrum ad velle divinum, nisi per accedens; et ita ex his omnibus videtur quod conformitas attendenda sit secundum volitum.

Sed contra, duo contraria, in quantum huiusmodi, non conformantur eidem. Sed duae sanctorum voluntates de oppositis volitis conformantur divinae voluntati, cum utraque sit recta, sicut patet in littera de hoc quod quidam mortem Pauli volebant, quam ipse volebat. Ergo non est conformitas secundum volitum.

Solutio. Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, art. praeced., hic quaeritur de conformitate quantum ad voluntatis actum. Actus autem voluntatis humanae potest imitari actum voluntatis divinae dupliciter. Vel quantum ad esse naturae; et sic non loquimur hic: quia hoc convenit actui voluntatis secundum quod exit a potentia, ejus conformitatem dimisimus. Vel quantum ad perfectionem superadditam, secundum quam dicitur actus talis vel talis; et hanc conformitatem hic quaerimus, quae est quasi secundum speciem moris. Haec autem conformitas quadrupliciter potest considerari secundum habitudinem quatuor causarum: scilicet secundum causam materialem, sicut quando est idem volitum quod se habet ut materia circa quam est actus voluntatis; et ideo ista conformitas est secundum quid tantum, et non simpliciter: quia esse simpliciter non est a materia, sed a forma. Vel secundum causam efficientem; sicut quando aliquis vult quod Deus vult eum velle; hunc enim ordinem voluntatis Deus in eo fecit. Vel secundum causam finalem; sicut quando aliquis

in gloriam Dei facta sua ordinat, propter quam Deus omnia facit; et in his duobus essentialiter conformitas consistit. Vel secundum causam formalem, ut aliquis ex caritate velit, sicut Deus omnia ex caritate vult; ex habitu enim est forma actus, et in hoc consistit perfectio conformitatis. Hujus autem dicti ratio haec est, quia essentialis assimilatio aliquorum attenditur secundum illud unde species trahitur: species autem cujuslibet actus voluntarii trahitur ex objecto, quod est forma voluntatis producentis actum. Ad objectum autem alicujus actus duo concurrunt: unum quod se habet quasi materialiter, et alterum quod est sicut formale, complement rationem objecti; sicut ad visibile concurrunt lux et color. Illud autem quod se habet materialiter ad objectum voluntatis, est quaecumque res volita: sed ratio objecti completur ex ratione boni. Unde ex hoc actus voluntatis humanae conformatur voluntati divinae quod tendit in bonum sicut voluntas divina. Et ex hoc etiam actus bonus est repraesentans bonitatem divinam. Et haec est conformitas secundum causam efficientem, quia Deus unamquamque voluntatem in bonum ordinavit. Et hoc vult Deus nos velle, in quantum voluntas nostra ordinata est. Sed haec conformitas includit conformitatem finis, in quantum hoc volitum habet rationem bonitatis ex fine, etsi quandoque etiam in se bonum sit; unde ex hoc attenditur essentialiter conformitas, non autem ex ipsa re volita ex qua actus speciem non trahit. Sed habitus caritatis addit perfectionem in bonitate actus. Et ideo secundum causam formalem attenditur perfectio conformitatis, ut tanto actus voluntatis nostrae divinae voluntati sit conformior, quanto est melior et perfectior.

Ad primum ergo dicendum, quod volitum non est perfectio voluntatis, vel objectum, nisi in quantum stat sub ratione boni, sicut nec color objectum visus et perfectio, nisi secundum quod stat sub actu lucis.

Unde patet ad secundum responsio.

Ad tertium dicendum, quod in eo qui peccat, voluntas rationis non tendit in id quod est sibi bonum, sed in id quod est alteri bonum, scilicet concupiscibili et irascibili: non enim homo dicitur homo propter concupiscibilem vel irascibilem, sed propter rationem; et ideo non est bona voluntas. Si tamen irascibilis per se tenderet in suum objectum, quod est suum bonum, non est culpabilis, sicut est in brutis, et habet quaedam conformitatem ad volutatem divinam in quantum tendit in id in quod ordinavit eam Deus.

Ad quartum dicendum, quod passio Christi habebat duo: scilicet quod erat salvativa humani generis; et sic haec res volita stabat sub ratione boni et erat volita a Deo et a sanctis: vel secundum quod erat afflictiva innocentis, et sic non habebat rationem boni, et sic erat volita a Judaeis, unde non volebant bonum simpliciter nisi per accedens, sed per se loquendo volebant simpliciter malum aestimatum bonum, in quantum satisfaciebant irae suae, vel invidiae.

Ad quintum dicendum, quod sicut forma naturalis est in materia ab agente, ita forma bonitatis est in volitio a fine; et sicut materia improporionata ad formam adveniente debito agente nunquam consequitur formam, sicut lapis non fit caro a virtute digestiva; ita etiam volitum improporionatum

S. Th. Opera omnia. V. 6.

ad bonitatem, quantumcumque sit bonus finis, nunquam bonitatem recipit; et talia sunt quae per se sunt mala, ut furari et huiusmodi; nisi deformitas tollatur auctoritate divina, ut supra, distin. 47, quaest. unica, art. 3, dictum est.

Ad sextum dicendum quod omne volitum divinum imitatur voluntatum ipsius in quantum est sicut Deus vult, non tamen imitatur in ratione volendi, et bonitate actus voluntatis; sed solum actus voluntatis humanae tendens in bonum ad quod ordinatum est secundum Dei voluntatem; unde non tantum est ibi conformitas voluntatis nostrae in quantum est volita, sed in quantum est volens, et bonum actum voluntatis eliciens.

ARTICULUS III.

Utrum ad conformitatem divinae voluntatis non teneamur.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod ad conformitatem divinae voluntatis non teneamur. Sicut enim rectitudo voluntatis humanae est per conformitatem ad volutatem divinam, ita rectitudo intellectus nostri per conformitatem ad intellectum divinum. Sed non omnes tenentur ad conformandum intellectum suum intellectui divino; alias nullus habens falsam opinionem, salvaretur. Ergo et pari ratione non tenemur ad conformitatem voluntatis.

2. Praeterea, nullus obligatur ad impossibile sibi; alias peccatum non esset voluntarium, sed necessarium. Sed voluntas obstinata in malo non potest divinae voluntati conformis esse, quae semper bona est. Ergo videtur quod tales ad conformitatem non tenentur.

3. Praeterea, quicumque peccat, in ipso actu peccati voluntatem suam volutati divinae non conformat. Si ergo ad conformitatem omnes tenemur, videtur quod quicumque peccat, duplici peccato peccet; scilicet peccato transgressionis quod committit, et peccato omissionis quod conformitatem non implet ad quam tenetur: et hoc est falsum.

4. Praeterea, quicumque non facit id ad quod faciendum obligatur, peccat mortaliter omitendo. Sed quicumque peccat venialiter, ipso actu non conformat voluntatem suam volutati divinae. Ergo si ad hoc tenetur, peccat mortaliter: quod falsum est: ergo et primum.

5. Praeterea, quidquid vult Deus fieri, fit. Ergo quidquid vult nos velle, volumus. Sed mali non volunt bona facere. Ergo Deus non vult eos velle bona. Sed mali peccant per recessum ejus ad quod tenentur. Ergo videtur quod non tenentur ad volendum illud quod Deus vult eos velle; in quo tamen conformitas voluntatis consistebat.

6. Praeterea, sicut volitum divinum est nobis ignotum, ita et finis ad quem opus suum ab ipso ordinatur; cum etiam in rebus naturalibus plerumque difficile sit assignare finem. Sed nullus tenetur ad id quod ignorat. Ergo ad illam conformitatem quae est ex parte finis non tenemur.

7. Praeterea, nullus tenetur ad id quod non est in potestate sua. Sed habere caritatem non est nobis ex nobis. Ergo videtur quod ad illam conformitatem quae est in forma caritatis, non tenemur.

Sed contra, omnes tenemur ad obediendum

Deo, et ad habendum rectam voluntatem. Sed hoc non potest esse nisi conformemur divinae voluntati. Ergo ad conformitatem ejus omnes tenemur.

Solutio. Respondeo dicendum, quod ad illud proprie dicitur aliquis teneri, quod si non facit, peccatum incurrit. In omnibus autem et naturalibus et voluntariis peccatum contingit ex hoc quod aliquid non pervenit ad illud ad quod ordinatum est, ut in 2 Phys. (text. 82) dicitur; ut patet in monstris et erroribus qui contingunt in operatione artis. Sed tamen differenter est in naturalibus et voluntariis: quia in naturalibus defectus ab ordine incidit ex necessitate materiae; sed in voluntariis ipsa voluntas est causa sui defectus: quia in nobis est posse deficere et non deficere. Unde defectus voluntatis ab eo ad quod ordinata est, non solum habet rationem peccati, sed etiam culpae. Cum igitur dictum sit, quod conformitas voluntatis attendatur secundum hoc quod tendit per actum suum in id ad quod ordinatum est, oportet quod defectus conformitatis inducat peccatum et culpam; et ideo tenemur ad conformitatem voluntatis.

Sed sciendum, quod ad aliquid tenemur directe, quod scilicet per se est in potestate nostra; et sic tenemur ad conformitatem, qua volumus id quod congruit nos velle, et secundum rectum finem; quia in utrumque istorum per naturalia nostra possumus. Ad aliquid vero tenemur indirecte, sicut ad habendam gratiam, quod secundum se non est in potestate nostra; sed in potestate nostra est facere aliquid, quo facto habebimus gratiam; et sic tenemur etiam ad illam conformitatem quae est secundum formam caritatis.

Ad primum ergo dicendum, quod non est simile de voluntate et intellectu: quia defectus intellectus non est in potestate nostra, sicut defectus voluntatis: quia intellectus volenter cogitur quandoque rationibus, ut in 3 Metaph. (text. 6) dicitur, non autem voluntas. Et tamen in his quae necessaria sunt ad salutem, tenemur intellectum nostrum divino conformare, ut in his quae fidei sunt: quia in his, si quod in nobis est facimus, divinum nobis non deerit auxilium. In aliis etiam peccaret quis, si voluntarie secundum intellectum verum impugnaret, et falso adhaereret.

Ad secundum dicendum, quod dum voluntas est obstinata, simul divinae voluntati conformis esse non potest; sed in statu viae nullus est qui mentis obstinationem non possit deponere, et sic divinae voluntati conformari: sed damnatis est in poenam inflicturn ut ab obstinatione sua nunquam eurentur, et tamen manet in eis culpa perpetua cum poena non defutura; non tamen demerentur, quia non sunt in via, sed ad terminum viae, ubi est poena, devenerunt.

Ad tertium dicendum, quod conformitas voluntatis est communis ad omnia praecepta legis naturalis et scriptae quibus in bonum ordinamur: unde quicumque peccat contra quodcumque praeceptum, contra conformitatem peccat; non tamen facit duo peccata, quia commune non ponit in numerum contra proprium.

Ad quartum dicendum, quod praecepta affirmativa non obligant ad semper; eo quod impossibile est nobis semper agere, ut in lib. de Somno et Vigilia dicitur: et ideo non oportet quod semper actu voluntatem nostram divinae conformemus; sed sufficit quod semper in habitu, et quandoque

in actu. Unde qui peccat venialiter, non committit contra conformitatem, sed solum praeter conformitatem facit, sicut praeter legem.

Ad quintum dicendum, quod cum dicitur conformitatem attendi secundum hoc quod volumus id quod vult nos Deus velle, intelligitur de voluntate antecedente, cujus effectus est ordo naturae nostrae in bonum. Obiectio autem procedit de voluntate consequente, et ideo non procedit.

Ad sextum dicendum, quod licet finem proprium scire non possumus, finem tamen ultimum a quo est omnis bonitas in finibus proximis, scire possumus, ut scilicet omnia in Deum ordinemus, qui propter seipsum universa fecit, ut dicitur Proverb. 16.

Ad septimum patet responsio per id quod dictum est.

ARTICULUS IV.

Utrum ad conformitatem in voto teneamur.

Ad quartum sic proceditur. 1. Videtur quod ad conformitatem in voto non teneamur. Nullus enim ad ignotum tenetur. Sed votum divinum est nobis ignotum, sicut et ejus praesentium. Ergo videtur quod ad hoc non teneamur.

2. Si dicitur, quod potest alicui revelari; contra. Posito quod alicui sua damnatio reveletur, iste non tenetur suam damnationem velle; quinimo tenetur suam salutem velle, quia tenetur se ex caritate diligere, et sibi summum bonum optare. Ergo non tenetur velle quod se Deum velle.

3. Praeterea, Christus sciebat passionem suam a Deo esse volitam, et tamen aliqua voluntate passionem noluit, ut infra dicit Magister, in 5, 17 dist. Cum igitur Christus nihil omiserit eorum quae sunt de rectitudine vitae, ad quae omnes tenemur, videtur quod ad conformitatem in voto non teneamur.

4. Item objicitur de beata Virgine, quae passionem Filii non voluit; alias de morte tristata non fuisset, quod est contrarium ejus quod habetur Luc. 2, 35: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

5. Praeterea, voluntas divina innotescit nobis per signa (1). Sed permissio, quae est unum signorum, est etiam de malis culpa, quae nullo modo velle debemus. Ergo non tenemur conformare voluntatem nostram divinae in voto.

Sed contra, super illud Psalmi 104: *Non adhaesit mihi cor pravum*, dicit Glossa (interlinealis): *Cor pravum habet qui non vult quod Deus vult.* Sed omnes tenemur non habere cor pravum. Ergo tenemur ad conformandum voluntatem nostram voluntati divinae in voto.

Praeterea, secundum Tullium (lib. de Amic.), amicorum est idem velle et nolle. Sed tenemur Deo esse amici. Ergo tenemur idem velle quod ipse vult.

Solutio. Respondeo dicendum, quod Deus dicitur aliquid velle voluntate antecedente; et de hoc non est dubium quin voluntatem nostram in tali voto divinae conformare debeamus, quia hoc est in quod voluntas nostra ordinata est. Dicitur etiam

(1) Al. additur voluntatis.

aliquid velle voluntate consequente; et hoc votum non semper notum est nobis, nisi quatenus operatione ejus manifestatur; et hoc addit aliquam rationem bonitatis ad rem, ut possit esse volita, quia Deus eam vult; sicut enim aliquid habet in se bonitatem, ut facere elemosinam, et tamen advenit sibi aliqua ratio bonitatis ex fine; ita etiam advenit sibi aliqua ratio bonitatis ex hoc quod est votum et ordinatum a Deo. Eo enim ipso quod aliquid apprehenditur ut volitum a Deo, apprehenditur ut bonum. Unde voluntas consequens hanc apprehensionem, tenetur tendere in illud: alioquin non esset motus voluntatis bonus, nec Deo conformis, si bonum refugeret.

Sciendum tamen, quod cum sint diversi gradus appetitus consequentes diversas apprehensiones, nullus appetitus tenetur tendere in illud bonum cujus rationem non apprehendit. Verbi gratia, in nobis est quidam appetitus sensitivus consequens apprehensionem sensus, qui non est nisi de bono convenienti secundum corpus: unde hoc appetitu appetitur delectabile secundum sensum; nullo autem modo aliquid bonum spirituale, ut scientia. Est et quaedam voluntas in nobis naturalis, qua appetimus id quod secundum se bonum est homini, inquantum est homo; et hoc sequitur apprehensionem rationis, prout est aliquid absolute considerans: sicut vult homo scientiam, virtutem, sanitatem et hujusmodi. Est etiam in nobis quaedam voluntas deliberata consequens actum rationis deliberantis de fine et diversis circumstantiis; et secundum hanc tendimus in illud quod habet rationem bonitatis ex fine, vel ex aliqua circumstantia. Si ergo sit aliquid quod habeat has omnes rationes bonitatis, quilibet appetitus si sit rectus, tendit in hoc; si autem desit aliqua ratio dictarum, oportet illum appetitum cui respondet talis ratio, non tendere in hoc; sed forte in contrarium, si forte habeat contrariam rationem; sicut secari propter sanitatem est contristabile secundum sensum, nec secundum se bonum est, sed tantum ex fine; et ideo sectionem solum voluntas deliberata eligit, sed voluntas naturalis et appetitus sensitivus abhorret.

Similiter etiam dicendum est in proposito. Si enim apprehendatur aliquid esse volitum a Deo, quod praecipue per signum operationis manifestatur; voluntas deliberata, quae sequitur rationem, prout est apprehendens et confers de ista ratione bonitatis, tenetur illud (1) velle, quamvis voluntas naturalis et appetitus sensitivus refugiant; et in refugiendo voluntati divinae conformantur, inquantum tendunt in bonum secundum rationem apprehensam; sicut est in illo qui pie dolet de morte patris, vel alicujus utilis in Ecclesia. Sciendum tamen, quod in talibus motus voluntatis deliberatae in peccatoribus est corruptus, qui ex toto relinquunt deliberationem rationis, et sequuntur impetum voluntatis naturalis et sensitivae, murmurantes de Dei ordinatione; in justis vero viatoribus manet quidem integer, sed imperfectus dupliciter. Tum, ex parte cognitionis, quia non plene volun-

tatem divinam cognoscit: tum ex parte affectionis, quia retardatur ex motibus inferioribus: unde in talibus sufficit non (1) recalcitrare divinae ordinationi, nec oportet gaudium experiri de hoc quod secundum voluntatem fit, sicut etiam dicit Philosophus (in 5 Ethic., cap. 10); quod sufficit forem non tritari in periculis mortis, quamvis non gaudeat, sicut est in actibus aliarum virtutum; et haec est conformitas viae. Sed in beatis est integer et perfectus, tum ex parte cognitionis, quia voluntatem divinam plene cognoscunt; tum ex parte affectionis, quae dominatur omni inferiori voluntati, nec in aliquo retardatur vel impeditur: unde in videndo illud quod Deus vult, quod et ipsi volunt, gaudium experiuntur: de quo in Psalm. 37, 2, dicitur: *Luctabitur justus cum viderit vindictam.*

Ad primum ergo dicendum, quod votum divinum, quantum ad voluntatem antecedentem, est nobis notum ex ipsa naturali inclinatione; sed votum voluntatis consequentis innotescit nobis vel per revelationem vel per operationem.

Ad secundum dicendum, quod illa positio est quasi impossibilis: quia nulli sua damnatio revelatur, sicut etiam nec Angelis, ut dicit Augustinus (libr. 11 supra Genes. ad lit., cap. 17 et 18); si tamen revelaretur, posset credere secundum comminationem et non secundum praesentiam dictum: tenetur tamen velle istum ordinem justitiae, quo si in peccatis moritur, damnatur; quia hoc est quod Deus vult, et non damnationem per se, neque culpam.

Ad tertium dicendum, quod Christus voluntate rationis deliberata volebat passionem suam, et similiter beata Virgo, et quilibet sanctus; quamvis voluntas naturalis dissentiret.

Ad quartum dicendum, quod permissio nunquam significat quod voluntas (2) sit de culpa, sed de bono quod adjungitur culpae.

Expositio textus.

Actum quippe Judaeorum non voluit Deus. Videtur hoc esse falsum: quia passio est effectus actionis: unde si voluit passionem, voluit actionem.— Ad quod dicendum, quod passio Christi subiacebat duplici operationi: id est actioni Judaeorum inquantum afflictiva erat, et sic non erat volita a Deo, sicut nec actio; et operationi voluntatis Christi, inquantum erat meritoria, et sic erat placita Deo: unde versus:

Actio displicuit, passio grata fuit.

Frequenter enim voluntas et ratio dividunt quae natura conjungit.

Ut Apostolus Petrus, quando id fieri volebat, satanas ab ipso qui occisus est, diceretur. Hoc sumitur ex Math. 16, et dicitur satanas, id est adversarius, inquantum bona sua voluntate ex pietate bonae voluntati Christi adversabatur.

(1) Al. deest non.
(2) Nicolai addit divina.

EPILOGUS ⁽¹⁾

Quae ad mysterium divinae Unitatis atque Trinitatis licet ex parte cognoscendum pertinere noscuntur, quantum valui-

(1) Ita Nicolai ex Magistri textu separatim cuso; praecedentes vero S. Thomae operum editiones omnes quas videre licuit, haec tantum exhibent confusa cum expositione textus: Et quae ad mysterium divinae voluntatis etc. videtur incon-

Videtur inconvenienter ordinasse: quia, secundum Philosophum (in 1 Phys., text. 2), innata est nobis via a posterioribus in priora, et ita a creaturis in Creatorem. Ad quod dicendum, quod hoc tenet in eis quae naturali cognitione cognoscimus, quae ex sensu principium sumit; sed in his quae per fidem cognoscimus, nostra cognitio ipsi veritati primae innitur. Unde oportet quod

mus, diligenter executi sumus. Nunc ad considerationem creaturarum transeamus.

venienter cum reliquis usque in finem. Editio autem Magistri Sententiarum an. 1506. Venetiis curata habet epilogum huiusmodi initio rubricarum libri secundi.

a prima veritate, quae est Deus, in ea quae ab ipso sunt procedamus, ad similitudinem cognitionis quam sancti in Verbo habebunt, ubi et Verbum et res plene cognoscunt: cuius cognitionis nos participes faciat ipsum Verbum Dei Filius, qui hanc cognitionem in nobis per fidem initiavit; cui est honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.



SANCTI THOMÆ AQUINATIS

COMMENTUM

IN SECUNDUM LIBRUM SENTENTIARUM

MAGISTRI PETRI LOMBARDI

PROLOGUS S. THOMÆ

Spiritus ejus ornavit caelos, et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus. Job 26, 15.

Creaturarum consideratio pertinet ad Theologos, et ad Philosophos; sed diversimode. Philosophi enim creaturas considerant, secundum quod in propria natura consistunt; unde proprias causas et passiones rerum inquirunt: sed Theologus considerat creaturas, secundum quod a primo principio exierunt, et in finem ultimum ordinantur qui Deus est; unde recte divina sapientia nominatur: quia altissimam causam considerat, quae Deus est. Unde dicitur Eccli. 42, 17: *Nomine Deus fecit sanctos suos enarrare omnia mirabilia sua?* Per modum istum in hoc secundo libro de creaturis agit; unde materia ejus ex verbis praemissis accipi potest, ex quibus tria elicere possumus, scilicet rerum principium, principii ipsius actum, et actus effectum. Ex parte principii duo tanguntur, scilicet spiritus, et manus: spiritus bonitatis vel voluntatis suae; sed manus potestatis. De hoc spiritu dicitur in Psalm. 105, 50: *Emitte spiritum tuum et creabuntur.* Quia secundum Dionysium (4 cap. de div. Nominibus), sicut sol radios suos emittit ad corporum illuminationem, ita divina bonitas radios suos, idest participationes sui, diffundit ad rerum creationem. Et ideo Augustinus (1 de doctrina Christ., cap. 52) dicit, quod in quantum bonus est, sumus. Istum spiritum negaverunt qui posuerunt Deum produxisse res ex necessitate naturae, et non ex libertate voluntatis; contra quos dicit Dionysius (cap. 4 de div. Nomin.), quod divinus amor non permisit eum sine germine esse. Sed de manu potestatis ejus in Psalm. 105, 28: *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* In manu siquidem ejus erant omnes fines terrae, quia ab aeterno non nisi in ejus potestate erant. Aperta enim manu clave amoris, creaturae prodierunt. Haec est manus de qua dicit Isai. 59, 1: *Ecce non est abbreviata manus ejus: quia infinita sua virtute rerum substantiam in esse producit. Hanc manum abbrevi-*

viare voluerunt qui a Deo nihil fieri posse ex nihilo astruxerunt. Et sic apparet in productione creaturarum, Trinitas personarum. In spiritu ipse Spiritus sanctus, de quo dicitur Sap. 1, 7: *Spiritus Domini replevit omnem terram.* In manu Filius, qui etiam brachium Patris dicitur Job 40, 4: *Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas?* eo quod ipse est virtus et sapientia Dei, 1 Corinth. 1; et: *omnia per ipsum facta sunt*, Joan. 1, 5. Sed in pronomine ejus persona Patris exprimitur cuius est et Filius et Spiritus sanctus de quo dicitur Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus caelum et terram.* Sed ex parte actus tangit etiam duo; scilicet ornatum, et obstetricationis officium. Ornatum pertinet ad dispositionem rerum, quia eas varia pulchritudine decoravit, ut dicitur Eccli. 42, 21: *Magnalia sapientiae suae decoravit.* De hac etiam pulchritudine Boetius (5 de Cons., metro 9) dicit:

Mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus ipse.

Sed obstetricatio pertinet ad providentiae gubernationem, qua creaturas per se subsistere non valentes, ad modum obstetricis in esse conservat, necessaria in finem ministrat, et impedimenta repellit, etiam mala in bonum ordinando; unde dicitur Job 58, 8, secundum similem metaphoram: *Quis conclusit ostium mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens?* Ex parte effectus duo tangit; scilicet caelum, et colubrum tortuosum. In caelo duo considerare possumus: scilicet stabilitatem, Proverb. 5, 9: *Stabilitavit caelos prudentia; et indeficientem claritatem, de qua Eccli. 24, 6: Ego feci in caelis ut oriretur lumen indeficiens.* Unde per caelos intelligere possumus creaturas quae in decore suo firmiter perstiterunt. Similiter in colubro tortuoso duo considerare possumus; scilicet obscuritatem, et obliquitatem. Primum in nomine